



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,  
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice  
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio  
Tridentino factæ continente

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

Principium 2. De occultis non judiciat prætor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

*Ad Iustitiam pertinentibus.* 553

non debet sibi Judex arrogare officium Judicis, nisi sit ipse  
Judex supremus, aut causa manifesta sit atque notoria, aut Ec-  
clesiam propriam concernens.

*Authoritas.*

Desumptum est ex le. unic. C. ne quis in sua causa judi-  
ci ac defenditur, & explicatur à Laymanno. l. 3. tr. 6. c.

*Ratio.*

Quia Judex debet esse medius, ac veluti Diremptor  
inter partes contententes, uti habetur in Glossa c. 1. causa 4.  
ergo non potest simul, & partis litigantis, & Judicis deci-  
dendi manus sustinere.

*Praxis.*

Hinc deducitur 1. Si quis Judici litem de hæreditate  
in suo jure cedendo moveat, Judicem non posse litem hanc  
decidere, sed alteri decidendam committere debere, uti ex  
supra cit. patet.

Deducitur 2. Neminem privatum posse alterum vindi-  
ctam causâ aut verberare, aut alio modo punire, ob propriam  
offensam, sed potius, si velit, Judicis officium implorare de-  
bet, uti communis praxis Tribunalium declarat.

Deducitur 3. Supremum Principem ab aliquo Subdito  
propter offensam posse commeritam pœnam ab eo exigere,  
ut Supremus Magistratus, & fons legum atque justiti-  
æ, atque optimis Consiliariis cinctus, nihil nisi justum con-  
tra Subditos decreturus supponatur.

*PRINCIPIUM II.*

*De occultis non judicat Prætor.*

*Sensus.*

Hoc est, de iis actionibus, quæ exteriori aliquo signo  
in iudicio non produntur, nullus Judex præsumere debet  
veritatem ferre.

*Authoritas.*

Desumptum est ex c. 1. §. porro ut Ecclesiastica benefic.  
de iudic. in. conf. & le. cogitationis ff. de pœnis, ubi dicitur:  
cogitationis pœnam nemo patitur.

M m 2

*Ratio.*

*Ratio.*

Quia ejusdem est cognoscere & judicare, ergo cum iudex occulta seu interna peccata cognoscere ordinariè non possit, de iisdem etiam judicare non debet.

*Praxis.*

Hinc deducitur 1. Etiam si quis leviter percussus Criminalium habuerit intentionem graviter nocendi, non tamen excommunicationis pœnâ feriri posse, uti Bonac. apud eum Busenbaum l. 7. c. 1. ex communi docet.

Deducitur 2. Eum, qui Hæresin tantum occultam fortis pœnis Hæreticorum non subjacere, uti Laym. l. 1. tr. 1. c. 1. n. 1. ex communi docet.

Deducitur 3. Eum, qui propositum habuit furandi, impeditur, quò minus propositum exequi possit, non potest velur furem puniri, uti plurimi Authores apud & cum Laym. l. 1. tr. 4. c. 4. n. 5. docent, quia, ut c. 1. 15. q. 6. dicitur, non potest humano judicari examine, quem Dominus suo referat iudicio.

*PRINCIPIUM III.*

Sanctius est impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnare.

*Sensus.*

Hoc est, si de delicto alicujus non satis constat, sed dubium est, an vel omnino sit patratum, vel certe cum sufficienti deliberatione commissum, tum rectius sine pœna diffinitur, quàm ut infligendo supplicium incurratur periculum, ne, si culpa non subsit, innocens puniatur.

*Authoritas.*

Desumptum est ex le. absentem ff. de pœnis & refectione P. Gobat. tr. 2. exeg. n. 281. & in accus. canon.

*Ratio.*

Quia, cum partium jura sunt obscura, Reo potius favorandum est, quàm actori; atqui in tali casu lex quoque damnatur: actor est, reus verò ipse, qui dubium delictum commisit. præterea ex dissimulatione nullum damnum per se sequitur alicui.